

que res litterarias spectant, gratissima semper mihi fuere, magnique aestimata. At quaeris caussam, cur TIBI, prout debuisssem, scribere omiserim. Iurare possum me eam reuera ignorare; id vero certissimum est, me iam ante longum tempus scribere incepisse, et vel decies mihi proposuisse inceptas litteras continuare; sed nescio quod fatum hoc noluit. Interim permultas habui occupationes et praeterea sat longum iter in Holsatiam feci. Haec vero non adduco, vt vitium, quod commisi, certe vix ignoscendum excuseam. Sed peccasse me fateor, peccatum lubenter agnosco; et peccato pro TVA benevolentia benigne ignoscas humillimus rogo.

De TVA benevolentia, integerrimaeque amicitiae documentis, quorum quotidie maiora maximaque, dum Vpsaliensem Auram hausi, in me contulisti, gratias ago et persoluo, quas maximas concipere valeam. Non blandior; sed certe persuadeo, me maximi semper aestimasse Amicitiam, qua me dignari voluisti, et iuro me adhuc dolere, quod nimis breue fuerit tempus, quo tam e TVA quam e Parentis optimi quotidiana conuersatione semper humanissima discere licuit. Et forte fieri potest, vt aliquando Vpsaliam iterum videam; si fata id vellent, beatum me crederem. Sed ad Decades doleo me desiderio TVO nullo modo satisfacere posse. Ex omnibus, quos noui, bibliopolis neminem inueni, qui Decadam editionem suscipere velit. Mea certa non est culpa; sed feci, quicquid in potestate fuit. Ipse, qui ob multam praxin et multos heic nouit, Dr. Fabricius Editorem TIBI procurare frustra quaesivit. Hinc duo TIBI proponam, nempe aut Icones heic sculpi cures, dum singula Decas 25—30 Ducatos constabit, aut expectes, vsque dum amicus Fabricius natu maior proximo Paschatis Festo Belgium adierit, vbi certissime Editorem inueniet. Fac iam, quicquid placuerit. Me paratum inuenies ad omnia praestanda, quae in mea sunt facultate.

Parenti Optimo ante Festum scripsi et misi Plantas paucas mihi obscuras, incertas vel ignotas. Accepisse eum audi magnam collectionem plantarum rariorum. Optarem iam esse Vpsaliae, dum certus scio, multas eum accepisse